

# A SZENTSZÉK ALAPÍTÓ OKIRATA

975/96 N.  
CONGREGATIO  
DE INSTITUTIONE CATHOLICA  
(DE SEMINARIIS ATQUE STUDIORUM INSTITUTIS)

## D E C R E T U M

Sacrorum canonum scientia et usus ad varia munera ecclesiastica in bonum fidelium recte expedienda omni tempore maximi momenti fuerunt, praesertim sacris ministris pastorali curae addictis. Quapropter semper Episcoporum impensa fuit sollicitudo curandi ut Iuris Canonici studium promoveretur, idem quoque academicis rationibus aptando.

De hac re plane conscientia atque hodiernis necessitatibus pastoralibus permota, Conferentia Episcoporum Hungariae hanc Congregationem adivit, exposcens ut in Universitate Catholica Budapestinensi Institutum Iuris Canonici ad instar Facultatis erigeretur, declarans omnia ad rem necessaria se rite comparasse.

Haec Congregatio, re undique perpensa, collatis consiliis cum iis quorum interest, preces sibi allatas benevole excipendas censens, ad normam art. 61 Constitutionis Apostolicae "Sapientia Christiana", ad bonum et incrementum memoratae Universitatis Catholicae necnon cunctae Ecclesiae in Natione Hungarica vigentis,

## INSTITUTUM IURIS CANONICI

ad instar Facultatis in eadem Universitate Catholica Budapestinensi praesenti hoc Decreto canonice et regi tractum que declarat, facta eidem potestate academicos gradus, scilicet Baccalaureatus, Licentiae et Doctoratus Iuris Canonici conferendi iuxta vigentem academicam Ecclesiae legem; servatis Statutis particularibus eiusdem Instituti ab hac Congregatione approbandis necnon iis quae in memorata Constitutione Apostolica "Sapientia Christiana" eiusque annexis Ordinationibus atque in ceteris documentis Sedis Apostolicae de Universitatibus et Facultatibus Ecclesiasticis praescribuntur; ceteris servatis de iure servandis; contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Insuper haec Congregatio Exc.mum ac Rev.mum Praesidem "pro tempore" eiusdem Conferentiae Episcoporum Hungariae

## MAGNUM CANCELLARIUM

ipsius Instituti nominat atque recentia, omnibus eidem agnitis tributisque iuribus et officiis huiusmodi muneri inherentibus pariter ac pro Facultate Theologica Budapestinensi quae in eadem civitate viget; eidemque mandans ut Institutum promoveat ac tutetur; servatis de iure servandis; contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Congregationis, die XXX mensis Novembris, in festo Sancti Andreae Apostoli, a.D. MCMXCVI.

**PRAEFECTUS: Pius Card. Laghi**

A SECRETIS: Josephus Saraiva Martins